

Iudaei exprobrarunt, excepit et curavit, passusque est ut impuræ mulieris lacrymis pedes sui rigarentur, ut nos doceret humane peccatores excipere. Haec enim maxima humanitas est. Quid dicitis? fures et sepulcrorum effossores carcerem occupant? Num, quaeso civitatis incolae omnes iusti sunt? annon hic multi peiores sunt, qui impudentius furantur? Alii enim solitudinem saltem et tenebras obtundunt, et haec clam faciunt: alii, posita larva, nudo capite, mala perpetrant, violenti, raptores, avari. Difficile namque est virum reperire insontem.

454 Quod si non aurum rapimus, si non tot et tot iugera terrae, at fraude et furto idipsum in minoribus pro virili facimus. Nam cum in commercio, vel in emendo et vendendo, minus quam oportet numerare contendimus, omnemque machinam movemus, annon illud latrocinium est? annon furtum et rapina? Ne mihi dixeris, te nec domum nec servum abstulisse. Iniustitia namque non raptæ rei pretio, sed rapientis voluntate penditur. Iustitia namque et iniustitia in magnis et parvis rebus eandem vim habent: et furem appello tam cum qui exsecta crumena aurum abripit, quam ementem, qui aliquid defraudat de pretio; et parietis effossorem voco non eum modo qui, rupto pariete, aliquid intus furatur; sed etiam eum qui, iure violato, aliquid a proximo aufert. Ne ergo rebus nostris omissis, alienarum iudices simus; neque dum humanitatis tempus est, nequitiam scrutemur: sed cogitantes quomodo nos olim affecti fuerimus, simus tandem mansueti et benigni. Quomodo ergo affecti eramus? Audi Paulum dicentem: *Eramus enim atiquando et nos inobedientes, insipientes, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, odibiles, odientes, invicem*

(Trr. III, 3); et rursum: *Eramus enim natura filii irae* (EPHES. II, 3). Sed Deus nos quasi in carcere detentos videns, et gravibus constrictos catenis, quae ferreis longe graviore, non erubuit, sed venit in carcerem, et innumeris dignis suppliciis eduxit inde, et in regnum induxit; coeloque splendiores effecit, ut et nos pro virili nostra hoc ipsum faciamus. Nam cum discipulis dicit: *Si ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (IOANN. XIII, 14): non de lavandis pedibus tantum hic legem dat, sed et de aliis omnibus, quae ipse nobis contulit. Homicida est in carcere? At nos bene facere ne desistamus. Sepulcrorum effossor est, aut moechus? Sed ne malitiae, verum calamitatis misereamur. Saepae autem, ut dixi, reperietur ibi quispiam innumeris viris exaequandus; et si saepe victos adeas, hunc venatum assequeris. Sicut Abraham, qui quosvis excipiebat, in angelos incidit: sic et nos in viros magnos incidemus, si id frequentemus. Si vero liceat quid admirandum dicere, non tanta laude dignus est, qui magnum quempiam excipit, quam is qui miserum et infelicem. Ille namque non parvum argumentum affert sui recipiendi, nempe vitam suam; homo autem omnibus abiectus et miser unum habet portum, nempe misericordiam eius qui se bene excipit: itaque haec humanitas pura est. Qui claro et conspicio officia exhibet, saepe ad ostentationem id facit: qui vero abiectum excipit despectumque hominem, ob solum Dei praeceptum id facit. Quare si convivium paremus, claudos et caecos excipere iubemur; si elemosynam erogemus, minimis et vilissimis elargiri praecipimur; nam ait: *Quantum uni ex*

his minimis fecistis, mihi fecistis (MATTH. XXV, 45). Cum ergo illic reconditum thesaurum sciamus, eo frequenter ingrediamur, et ibi negotiemur, ac theatrorum studium illo vertamus. Si nihil aliud afferendum habeas, verborum consolationem adhibe. Non modo enim alentem, sed et intrantem Deus mercede donat. Nam si ingressus, trementem mentemque animum confirmaveris, hortando, iuvando, opem promittendo, philosophiam docendo, non parvam hinc mercedem recipies. Extra positi multi, te ita loquente, ridebunt, multis perfusi deliciis; sed qui in calamitate versantur, animo compuncto cum modestia multa dictis attendent, te laudabunt, et meliores evadent. Nam et Paulum praedicantem Iudaei saepe deriserunt, victi autem cum summo silentio audiebant. Nihil enim ita animum ad philosophiam praeparat, ut calamitas, tentatio, aerumnæ. Haec itaque cogitantes, quot nempe in carcere positus bona, quot nobis ipsis conferemus, si saepe cum illis versemur, forenses illas et intempestivas consuetudines eo vertamus, ut et illos lucremur, et nobis ipsis laetitiam pariamus, ac Dei gloriam curantes; aeterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto, in saecula saeculorum. Amen.

Varia de S. Thoma Cantuar., ex Græcolas.
(COMMENT. IN BREY. ROM. 233.)

455 FESTUM hoc trium priorum cedit antiquitati; Sanctus enim, cuius diem festum colimus, obiit ann. 1170, et anno 1173 Sanctorum numero adscriptus fuit ab Alexandro III, qui post festum Innocentium festum hoc publice iussit celebrari.
456 Oportet autem, ut festum hoc sero Romae celebratum fuerit, cum in nullis Ordinibus Romanis recentioribus reperitur; et fortasse nonnisi post schisma et dissensionem in Anglia ortam tempore Henrici VIII, factum est, ut Pius V. S. Thomam

Breviario Romano adscribi iuberet. Videretur immo, quod cum hoc festum sit ritus semiduplicis, non deberet habere nisi commemorationem in Officio de Octava Natalis; hoc enim, utpote novem letionibus constans, debet censeri semiduplex, cumque sit Domini Nostri in concursu cum festo unius Sancti eiusdem ritus, festum post Octavam remittere deberet. In Cluniacensis, aliisque Ordinariis fit hoc die de Nativitate, cum commemoratione tantum S. Thomæ. Primi Nocturni lectiones sunt de Communi unius Martyris.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. II, 33-40

In illo tempore: Erat Ioseph et Maria mater Iesu, mirantes super his, quae dicebantur de illo.
34. Et benedixit illis Simeon: et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel: et in signum, cui contradicetur:

35. et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, ut 36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanneel, de tribu Aser: haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.

37. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor: quae non discedebat de templo, ieiunans et obsecrationibus serviens nocte ac die.

38. Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino: et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.

39. Et ut perfecerant omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galileam in civitatem suam Nazareth.

40. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

EXPOSIT. IN LUCAM, CAP. 2.

VIDES uberen in omnes gratiam Domini generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse, non iustus. Ecce et Simeon propheta in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Iesum Christum, ut iustorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum iudex verus et iustus aut supplicia decernat, aut praemia.

Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius. Nec littera, nec historia do-

457

458

cet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse; non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideo prudentiam Mariae haud ignaram mysterii coelestis ostendit. *Vivum enim verbum Dei, et validum et acutum omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animae, et spiritus, artiumque et medullarum, cogitationes cordis, et secreta scrutatur animorum* (HEBR. IV, 12): quia nuda mentium, et aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientiae secreta non fallunt.

459 Prophetavit itaque Simeon, prophetaverat Virgo, prophetaverat copulata coniugio, debuit etiam vidua; ne qua aut professio desset, aut sexus. Et ideo Anna et stipendiis viduitatis, et moribus talis inducitur, ut digna plane fuisse credatur, quae redemptorem omnium venisse nuntiaret. Cuius merita cum alibi descriperimus, cum viduas hortamur (lib. *De viduis*, cap. 1), hoc loco quoniam ad alia properamus, non putamus iteranda. Non otiose tamen annos octoginta quatuor viduitatis eius expressit; quia et septem dodecades, et duae quadragesimae sacrum videntur numerum designare.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.
COMMENT. IN EVANG. LUCAE CAP. 2.

460 **E**rant pater eius et mater, etc. Hic tertio subditur ex hoc consurgens parentum admiratio, cum subditur: *Et erant pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo*, scilicet super quatuor praedictis. Nam Christus admirabilis est secundum quod mediator in pacis concordia; Esther decimo quinto: "Valde admirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum." — Admirabilis etiam secundum quod salvator in clementia;

propter quod in Psalmo dicitur ita: "Mirabilis Deus in Sanctis suis," quia "gratia et misericordia est in Sanctos eius et respectus in electos illius," Sapientiae quarto. — Admirabilis secundum quod doctor in sapientia; Psalmus: "Mirabilis facta est scientia tua ex me." — Admirabilis secundum quod triumphator in potentia, secundum illud Psalmi: "Mirabilis in altis Dominus," et Exodi decimo quinto: "Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?" — Et ideo non est mirum, si pater putativus et mater vera mirabantur super his quae dicebantur.

461 *Et benedixit illis Simeon*, etc. Post testificantis meritum et testificationis praeconium subiungitur hic tertio praeconii temperamentum humilians ad compatiendum, unde in compassione terminatur; Psalmus: "Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto," ideo post Christi dignitatem subiungit infirmitatem. In hoc autem temperamento primo praemittitur propheticae benedictionis solatium; deinde additur dominicae passionis mysterium; tertio subiungitur matris compassionis martyrium.

462 Quantum ad solatium benedictionis propheticae praemittitur: *Et benedixit illis Simeon*, id est, benedictos praedicavit Mariam, quia concepit, et Ioseph, quia educavit; unde poterat eis dicere illud Davidicum: "Benedicti vos a Domino." Benedicunt enim parentes in filio et pro filio, secundum quod, primi Regum secundo: "benedixit Eli Elcanae et uxori eius," scilicet pro Samuele, optimo puer.

463 Nota, quod praemittitur hic benedictio tum ad consolationem, tum ad confortationem, tum etiam ad commendationem, ne passio praedicanda turbet, ne terreat,

ne credatur culpa proximorum parentum esse in causa. — Vel ideo benedixit, ut significaret, quod in illo impletae sunt benedictiones Patrum; Genesis vigesimo secundo: "Benedicens benedicam tibi," etc. — Vel ideo, ut insinuet, per passionem Christi nos ab omni maledictione liberatos; ad Galatas tertio: "Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum."

464 Quantum ad mysterium dominicae passionis additur: *Et dixit ad Mariam, matrem eius: Ecce, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel*; et hoc divino iudicio; Ioannis nono: "In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant," et Isaiae octavo: "Erit vobis Dominus in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem." Et ideo dicitur positus, scilicet divino iudicio; primae Petri secundo: "Vobis honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt verbo," et hoc pro culpa ipsorum. Secundae ad Corinthios secundo simile dicitur de Apostolis: "Christi bonus odor sumus Deo, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam." — Et ratio huius est contradictio erroris; propter quod additur: *Et in signum, cui contradicetur*; Thronorum tertio: "Tendet arcum suum et posuit me quasi signum ad sagittam," hoc dicitur propter contradicentes; ad Hebraeos duodecimo: "Recogitate eum qui talem adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem sustinuit." Et ista contradictio fuit occasio ruinae et causa in multis; Isaiae quadragesimo primo: "Peribunt viri, qui contradicunt

tibi," et ideo dicitur Ecclesiastici quarto: "Non contradicas verbo veritatis ullo modo."

465 Quantum ad martyrium compassionis matris dicitur: *Et tuam ipsius animam pertransivit gladius*, id est tui ipsius, gladius compassionis; unde sibi competit illud Psalmi: "Ferrum pertransivit animam eius." Damascenus: "Dolores, quos pariens effugit, tempore passionis sustinuit." Et Bernardus: "Dum perforatur lancea ille tuus Iesus, omnium quidem, sed specialiter tuus; ipsius animam non gladius pertransivit, quia iam ille exspiraverat, sed tuam, unde te plus quam Martyrem praedicamus." Et Hieronymus: "Quia mente passa est, plus quam Martyr fuit." Unde, quia ipsa veraciter diligebat, ex affectu intimo vehementer compatiabatur. — Alii vero, qui in corde non diligebant, exultabant; ideo additur: *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Sic est hic consecutum, quia hoc consecutum est ad passionem Christi, quia videlicet Iudaeorum carnalium et hypocritarum fuit cordis iniquitas revelata; Osee septimo: "Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim et Samaritae coram me," quia, sicut dicitur Mathaei decimo: "Nihil est opertum, quod non reveletur, et absconditum, quod non sciatur." Hoc autem maxime erit in iudicio; primae ad Corinthios quarto: "Nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium," etc.

466 Nota spiritaliter, quod ex consideratione passionis Christi debet triplex gladius spiritualis animam pertransire. Primus est gladius discretionis rectae fidei; ad Ephesios sexto: "Et gladium spiritus, quod est verbum Dei." — Secundus est gladius distributionis severi iudicii; Apocalypsis primo: "De ore eius

gladius utraque parte acutus exhibat „ — Tertius est gladius *divisionis humani desiderii*; Matthaei decimo: „ Non veni mittere pacem, sed gladium „ — Pertransit autem animas primus gladius per *veram fidem*; ad Hebraeos quarto: „ Vivus est sermo Dei et penetrabilior omni gladio „ — Secundus, per *rigorem poenitentiae*; Psalmus: „ Gladii accipites in manibus eorum „ — Tertius, per *ardorem benevolentiae*; Cantiorum tertio: „ En lectulum Salomonis „, et post: „ Omnes tenentes gladios „.

467 Contra hunc triplicem gladium est alius triplex: scilicet gladius *rancoris*; primi Regum trigesimo primo: „ Arripuit Saul gladium suum et irruit super eum „ — Gladius *detractionis*; Psalmus: „ Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus „ — Gladius *haeresis*, qui est divisio ab unitate fidei; Proverbiorum quinto, sub metaphora meretricis: „ Novissima illius amara quasi absinthium, et lingua eius acuta quasi gladius biceps „; et Psalmus: „ Gladium evaginaverunt „, sequitur: „ ut trucident rectos corde „.

468 Primus gladius spiritualis est emendus; Lucae vigesimo secundo: „ Qui non habet vendat tunicam suam et emat gladium „. Alius vero est in vaginam remittendus; Ioannis decimo octavo: „ Mitte gladium tuum in vaginam „. Et ratio huius est, quia primus occidit vitam carnalem, secundus vero vitam spirituale.

469 *Et erat Anna prophetissa*, etc. Post testimonium sexus virilis sequitur hic testimonium sexus *muliebris*. Decibat enim, Christi adventum testimonium habere ab omni genere personarum, ut inexcusabiles sint qui non credunt Evangelio. Unde Christus habuit testimonium angelicum et humanum, et iterum quan-

tum ad simplices et perfectos, et iterum perfectorum in utroque sexu, ut ostendatur, quod uterque sexus ad redemptionem spectabat, sicut uterque occiderat. Unde ut nihil desit ad firmitatem testimonii, Christus natus habuit testimonium *septiforme*, scilicet a natura coelesti, scilicet stella; Matthaei secundo: „ Vidimus stellam eius in oriente „. A *supraeaelesti*, scilicet angelica; supra eodem: „ Facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus „, etc. A natura *subaelesti*, scilicet *virili simplici*, sicut pastores; supra: „ Et reversi sunt pastores „, etc. *Virili sapiente*, sicut Magi; Matthaei secundo: „ Ecce Magi ab Oriente venerunt „, etc. *Senili in sexu masculino*, sicut Simeon; supra: „ Hic venit in Spiritu in templum „. *Senili in sexu femineo*, ut hic: *Et erat Anna prophetissa, filia Phanael*, etc. *Infantili*, qui „ non loquendo, sed moriendo confessi sunt „; Matthaei secundo: „ Mitens occidit omnes pueros „, etc.; et tunc impletum est illud Psalmi: „ Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem „. Et omnis natura, omnis sexus, omnis aetas Christo nascenti testimonium perhibuit, quia ipse debebat reparare omnia. Unde et pueris in templo clamantibus et Pharisaeis reclamantibus dictum est infra decimo nono: „ Si tacerint hi, lapides clamabunt „.

Ad huius autem testimonii fidem a-
470 struendam tria introducuntur. Primum est *prophetantis auctoritas*. Secundum est *testificantis sanctitas*, ibi: *Et vixerat cum viro suo annis septem*, etc. Tertium est *testimonii celebritas*, ibi: *Et haec, ipsa hora supervenens*, etc. — *Auctoritas* autem *prophetantis* colligitur ex duobus, scilicet ex *munere prophetali* et *origine naturali*.

471 Ratione muneris prophetalis dicitur: *Et erat Anna prophetissa*. „ Anna inter-

pretatur gratia „, in quo ostenditur, quod recte decebat talem mulierem prophettare, quae erat habitaculum gratiae; Proverbiorum undecimo: „ Mulier gratiosa inveniet gloriam „; unde ipsa poterat dicere illud primae ad Corinthios decimo quinto: „ Gratia Dei sum id quod sum „. Ideo non est mirum, si Anna erat prophetissa, quia Sapientiae septimo dicitur de sapientia, quod „ in animas sanctas se transfert et amicos Dei facit et Prophetas constituit „.

472 Ratione vero *originis naturalis* additur: *Filia Phanael de tribu Aser*; et sic erat de genere *Israel*, de cuius genere erant reges, sacerdotes et Prophetae et Christus Dominus; ad Romanos nono dicitur de Israelitis: „ Quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissio, quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem „. Et specialiter erat *de tribu Aser*, cui data est benedictio in filiis; Deuteronomii trigesimo tertio: „ Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis „; „ Sicut dies iuventutis tuae, ita et senectutis tuae „. Et specialissime dicitur *filia Phanael*, qui interpretatur facies Dei; in quo ostenditur, quod erat de genere illorum, ad quos dicitur: „ Quaerite faciem eius semper „. Nihil ergo deerat ratione *originis* ex parte *dignitatis parentum*; nec etiam ratione *antiquitatis dierum*, quae facit ad dignitatem et auctoritatem per plurimum; Proverbiorum decimo sexto: „ Corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperitur „. Et ideo subditur: *Et haec processerat in diebus multis*; Iob vigesimo nono: „ In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies „.

473 *Et vixerat cum viro suo*, etc. Hic secundo describitur *testificantis sanctitas* quantum ad perfectionem vitae *activae* et *contemplativae*. — Quantum ad vitam

activam, quae consistit in regimine domus propriae dicitur: *Et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua*; et sic fuit *virgo*, antequam cognosceretur a marito.

474 *Et haec erat vidua usque ad annos octoginta quatuor*: et ita habuit continentiam *virginalem, vidualem et coniugalem* pro loco et tempore. Unde laudabilis fuit in custodia corporis; propter quod ei competebat illud Iudith decimo quinto: „ Fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris „. Et ideo haec vidua honoranda, secundum illud primae ad Timotheum quinto: „ Viduas honora, quae vere viduae sunt „; et iterum: „ Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens „. Talis fuit Anna; in quo apparet, quod habebat perfectionem vitae *activae*.

475 Quantum ad perfectionem *contemplativae* dicitur: *Quae non discedebat de templo*. Tota vacabat contemplationi *devote*. Glossa: „ Exemplum datur viduis, quae sunt in Ecclesia „, scilicet ut dicant cum Psalmo: „ Haec requies mea in saeculum saeculi „; contra illas viduas, de quibus dicit Apostolus primae ad Timotheum quinto, quod „ otiosae discent circuire domos, et non solum otiosae, sed et verbosae et curiosae, loquentes quae non oportet „. — Vacabat etiam *officiose*; unde et additur: *Ieiunis et obsecrationibus serviens Deo*; sicut illa bona vidua Iudith, octavo dicitur quod „ in superioribus domo suae fecerat cubiculum secretum, in quo cum pellis suis clausa morabatur, habens cilicium circa lumbos suos et ieiunabat omnibus diebus vitae suae „; et hoc optime, quia, sicut dicitur primae ad Timotheum quinto, „ vidua quae in de-

licis est, vivens mortua est „ Et bene iungit *ieiunium* et *orationem*, quia „ *ieiunio* sanantur pestes corporis, *oratione* pestes animae „; Tobiae duodecimo: „ Bona est oratio cum *ieiunio* et *elemosina* „ etc. — Vacabat etiam *continue*; unde dicitur: *Die ac nocte*; secundum formam Apostoli; prima ad Timotheum quinto: „ Quae vidua est et desolata speret in Domino et instet orationibus die ac nocte „.

476 *Et haec, ipsa hora*, etc. Hic tertio describitur *testimoni* *celebritas* tum ratione *temporis congruentis*, tum ratione *multitudinis consentientis*. — Ratione *temporis congruentis* dicitur: *Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino*; in quo apparet, quod divino instinctu factus est iste concursus, et ideo festum Purificationis dicitur festum Ypantii, id est obviantium, quia Simeon et Anna obviiaverunt Ioseph et Mariae sine aliqua convocatione; et ideo in die illo universaliter fit processio. Unde sicut eodem spiritu venit, quo Simeon, ita et eodem spiritu prophetavit; et impletum est illud Iosel secundo: „ Et prophetabunt filii vestri et filiae, senes vestri visiones videbunt „ etc. Attamen Simeonis testificatio explicite describitur et per modum praedicationis, Annae vero implicite et per modum confessionis, quia docere in Ecclesia non est mulierum, sed virorum; prima ad Timotheum secundo: „ Docere mulieres non permitto in ecclesia neque dominari in virum „. — Et nota, quod de Christo prophetaverant Simeon et Zacharias, virgo Maria et Elisabeth copulata coniugio; et ideo congruum est, quod prophetet et vidua, ne aliqua professio deisit aut sexus.

477 Ratione vero *multitudinis consentientis* subditur: *Et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel*. Illi

enim libenter audiebant, unde dicebant, illud Isaiae vigesimo quinto: „ Ecce, Dominus Deus noster, exspectavimus eum, et salvabit nos „. Iam poterat decantare: „ Redemptionem misit Dominus populo suo „. *Omnibus loquebatur*, quia in hoc pendebat salus omnium; Isaiae quadragesimo nono: „ Et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus, fortis Iacob „.

Et nota hic *spiritualiter*, quod in oblatione Domini quatuor personae adfuerunt, scilicet *Ioseph* et *Maria*, *Simeon* et *Anna*, quia anima, quae verum sacrificium vult offerre Deo, debet habere comitatum quatuor virtutum cardinalium. Per *Simeonem* namque, qui interpretatur *audiens*, intelligitur *prudencia*; Proverbiorum primo: „ Audiens sapiens, sapientior erit „. Per *Annam* vero, quae interpretatur *gratia*, intelligitur *temperantia*; ad Hebraeos ultimo: „ Optimum est gratia stabilire cor, non escis „. Per *Ioseph*, virum iustum, qui interpretatur *augmentum*, intelligitur *iustitia*; secundae ad Corinthios nono: „ Multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae „. Per *Mariam*, quae interpretatur *dominatrix*, intelligitur *fortitudo*, Proverbiorum decimo sexto: „ Melior est patiens viro forti „. De his quatuor virtutibus Sapientiae octavo in laudem scribitur: „ Sobrietatem enim et prudentiam docet et iustitiam et virtutem „. — Et haec designantur per quatuor prophetissas mulieres, de quibus fit mentio in Scriptura; scilicet *Maria*, soror Moysi, Exodi decimo quinto; *Debbora*, Iudicum quinto; *Holda*, quarti Regum vigesimo secundo, et *Anna*, sicut hic. Per *Annam*, sicut dictum est, intelligitur *temperantia*; per *Holdam*, quae interpretatur *discretio mea*, intelligitur *prudencia*; per *Debboram*, quae interpretatur *apis* habens aculeum, in-

telligitur *iustitia* quantum ad severitatem et clementiam; per *Mariam*, quae *dominatrix* et *mare amarum* interpretatur, intelligitur *fortitudo* quantum ad magnanimitatem et patientiam. — Et hae quatuor virtutes intelliguntur per quatuor filias Philippi prophetissas; Actuum vigesimo primo: „ Huic erant quatuor filiae, virgines prophetantes „. Per *Philippum*, qui interpretatur *os lampadis*, intelligitur *sapientia*, quae docet et generat quadruplicem virtutem praedictam.

479 *Et ut peccerunt*, etc. Postquam descripta est Christi humiliatio secundum Legis praeceptum et clarificatio per veritatis testimonium, subiungitur hic ultima particula huius partis, in qua describitur *consummatio praedictorum*, et hoc dicitur primo respectu *legalis praecepti*, deinde respectu *prophetalis vaticinii*. — Quantum ad *legalis praecepti consummationem* dicitur: *Et ut peccerunt omnia secundum Legem Domini*; quia secundum quod dicitur Matthaei quinto: „ Non veni Legem solvere, sed adimplere „; et rursus: „ Iota unum, aut unus apex non praeteribit a Lege, donec omnia fiant „. — Quantum autem ad *prophetalis vaticinii completionem* subditur: *Reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth*; Matthaei secundo: „ Admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur „; Isaiae nono: „ Aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium „. Sed hoc non cognoverunt scribae, qui dixerunt, Ioannis septimo: „ Scrutare Scripturas, et vide, quia a Galilaea Propheta non surgit „. — Et nota, quod secundum Augustinum in libro secundo de Consensu Evangelistarum, puer Iesus ante perlatum est a Iudaea in Aegyptum,

quam descenderet in Galilaeam, quia propter persecutionem Herodis descendit in Aegyptum, et propter timorem Archelai secessit in partes Galilaeae, rediens de Aegypto.

480 *Puer autem crescebat*, etc. Supra descripsit Evangelista, qualiter Salvator factus est sub lege caeremoniali, hic describit, qualiter factus est sub *lege morali*. Sed quoniam tota morum ordinatio principaliter attenditur circa tria, scilicet circa *cultum maiestatis* et *studium veritatis* et *officium pietatis*; per primum subiicitur homo suo *Creatori*, per secundum *doctori*, per tertium *genitori*: ideo pars ista habet tres, in quarum prima ostenditur, qualiter Christus factus est sub lege morali quantum ad *Maiestatis cultum*; in secunda, qualiter factus est sub lege morali quantum ad *veritatis studium*, ibi: *Et factum est, post triduum*; in tertia, qualiter factus est sub lege morali quantum ad *pietatis obsequium*, ibi: *Et dixit Mater eius ad illum*, etc.

481 Ad perfectam descriptionem *cultus divini* duo introduceuntur: primum est *excellencia virtutis propriae*, secundum est *reverentia maiestatis divinae*, ibi: *Et ibant parentes eius per omnes annos*, etc. — *Excellencia autem virtutis* in Christo ostenditur ex parte *mentis*, quamvis esset defectus aetatis ex parte *carnis*; propter quod praemittit *profectum aetatis* in carne et subiungit *perfectionem virtutis* in mente.

482 Quantum autem ad *profectum aetatis* in carne dicitur: *Puer autem crescebat*, scilicet in corpore, sicut exponit Beda: „ In quantum *puer* erat, id est homo fragilis, crescere poterat, sicut ceteri homines, non in quantum *Verbum* „. — Quantum autem ad *perfectionem virtutis in mente* subditur: *Confortabatur*. *Profectio* autem virtutis mentalis consistit

in tribus, scilicet in *vigore potentiae* respectu irascibilis; in *splendore sapientiae* respectu rationalis et *fervere gratiae* respectu concupiscibilis. — Quantum igitur ad *vigorem potentiae* irascibilis dicitur: *Et confortabatur*; Ezechielis tertio: *Manus Domini erat mecum confortans me*; ad Philippenses ultimo: *Omnia possum in eo qui me confortat*. — Quantum ad *splendorem sapientiae* in rationali subditur: *Plenus sapientia*; ad Colossenses secundo: *Nam in ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*; et Isaiae undecimo: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus*. — Quantum vero ad *fervorem gratiae* in concupiscibili subditur: *Et gratia Dei erat in illo*; Ecclesiastici vigesimo quarto: *In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae*, etc.; et Ioannis primo: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*.

Varia de Dom. infra Oct. Nativ. D., ex Grancolas.
(COMM. IN BREV. ROM., 234).

- 483 **H**AEC Dominica appellatur *Dominica vacat I. post Natale Domini*: in plerisque Ordinibus Romanis dicitur prima Dominica post Nativitatem, cuius Collecta est *Omnipotens... dirige actus*.
- 484 Antiphona *Dum medium silentium*, adeo repetita a c. 18. Sapientiae desumpta est, per quam nos docet Ecclesia, quod sicut Deus mediae noctis tempore populum suum ab Aegypti captivitate liberaverat, ita etiam media nocte per Incarnationem Verbi populum suum a servitute peccati liberavit.
- 485 Lectiones primi Nocturni sunt initium Epistolae ad Romanos: legitur Novum Testamentum post Adventum I. C. Epistola haec ab urbe Corintho scripta anno Domini 57 aut 58 prima inter Epistolas S. Pauli recensetur, non iuxta temporis ordinem, sed dignitate urbis et Ecclesiae Romanae et pro veritate dogmatum, quae in ea tractantur. Mos est antiquus Romae legendi Epistolas S. Pauli a Natali usque ad Septuagesimam.

Ad secundum Nocturnum Sermo S. Leonis elegantissimus est, et inter reliquos praestantissimus; legitur etiam Parisiis.

Ad tertium Nocturnum incipit Officium huius Dominicae per Evangelium proprium; in Homilia S. Ambrosius indicat, Virgineum non mortuum esse martyrem, nec mortem obisse violentam; et per gladium, qui eius animam pertransivit, intelligi debere dolorem extremum, quo eius cor transverberatum fuit in morte Filii. In eadem Lectione S. Ambrosius Lectorem remittit ad Librum suum de Viduis, ibi quae de Anna Prophetissa scripsit, consulturum.

Dominica haec a Micrologo cap. 27 vocatur, *officium dum medium silentium*; atque, eius officium quotidie repeti usque ad Epiphaniam, si nulla occurrant festa. Ex Collecta quispiam fortasse credit Ecclesiam ad Festum Nominis Iesu respexisse: *Ut in nomine dilecti Filii tui*.

S. SILVESTRI I. PAPAЕ ET CONFESSORIS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM
Luc. XII, 35-40.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sicut lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris.

36. et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinet se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret patrum familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA XIII. IN EVANGELIO. *Habita ad populum in basilica beati Felicii confessoris, in die natalis eius.*

SANCTI Evangelii, fratres charissimi, aperta vobis est lectio recitata. Sed ne aliquibus ipsa eius planities alta fortasse videatur, eam sub brevitate transcurramus, quatenus eius expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Quia viris luxuria in lumbis sit,

feminis in umbilico, testatur Dominus, qui de diabolo ad beatum Iob loquitur, dicens: *Virtus eius in lumbis eius, et fortitudo illius in umbilico ventris eius.* (Iob XI, 11). A principali igitur sexu lumborum nomine luxuria designatur, cum Dominus dicit: *Sicut lumbi vestri praecincti*. Lumbos enim praecingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat et bonis operibus insudare, protinus additur: *Et lucernae ardentes in manibus vestris*. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. De quibus profecto operibus Dominus dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est* (MATTH. V, 16). Duo autem sunt quae iubentur, et lumbos restringere, et lucernas tenere, ut et munditia sit castitatis in corpore, et lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest, si aut is qui bona agit adhuc luxuriae inquinamenta non deserit, aut is qui castitate praecinet necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate.

490 Sed et si utrumque agitur restat, ut quisquis ille est spe ad supernam patriam tendat, et nequaquam se a vitiis pro mundi huius honestate contineat. Qui etsi quaedam bona aliquando pro honestate inchoat, in eius tamen intentione non debet permanere, nec per bona opera praesentis mundi gloriam quaerere, sed totam spem in Redemptoris sui adventum constituat. Unde et protinus subditur: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis*. Ad nuptias quippe

Dominus abit, quia resurgens a mortuis, ascendens in caelum, supernam sibi angelorum multitudinem novus homo copulavit. Qui tunc revertitur, cum nobis iam per iudicium manifestatur.

491 Bene autem de servis expectantibus subditur: *Ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei*. Venit quippe Dominus cum ad iudicium properat, pulsat vero, cum iam per aegritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore tepidat, et videre eum quem contempsisse se meminit iudicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia laetus iudicem sustinet; et cum tempus propinquaе mortis agnoverit, de gloria retributionis hilarescit. Unde et protinus subditur: *Beati sunt servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes*. Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet, vigilat qui servat operando quod credit, vigilat qui a se torporis et negligentiae tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: *Evigilate iusti, et nolite peccare* (I COR. XV, 34). Hinc rursus ait: *Hora est iam nos de somno surgere* (ROM. XIII, 11).

492 Sed veniens Dominus quid servis vigilantibus exhibeat audiamus: *Amen dico vobis, quod praecinet se, et faciet eos discumbere, et transiens ministrabit illis*. Praecinet se, id est ad retributionem praeparabit; et faciet illos discumbere, id est in aeterna quiete refoveri. Discumbere quippe nostrum in regno quiescere est. Unde rursus Dominus dicit: *Veniet et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob* (MATTH. VIII, 11). Transiens autem Dominus ministrat, quia lucis suae illustratione nos satiat. Transire vero dictum est, cum de iudicio ad regnum

redit. Vel certe Dominus nobis post iudicium transit, quia ab humanitatis forma in divinitatis suae contemplationem nos elevat. Et transire eius est in claritatis suae speculationem nos ducere, cum eum quem in humanitate in iudicio cernimus, etiam in divinitate post iudicium videmus. Ad iudicium quippe veniens, in forma servi omnibus appareret, quia scriptum est: *Videbunt in quem transflexerunt* (ZACH. XII, 10; IOANN. XIX, 37). Sed cum reprobi in supplicium corruunt, iusti ad claritatis eius gloriam pertrahuntur, sicut scriptum est: *Tollatur inhius, ne videat gloriam Dei* (Is. XXVI, 10).

493 Sed quid si servi in prima vigilia negligentes existunt? Prima quippe vigilia primae aetatis custodia est. Sed neque sic desperandum est, et a bono opere cessandum. Nam longanimitatis suae patientiam insinuans Dominus, subdit: *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi*. Prima quippe vigilia primae aetatis tempus est, id est pueritia. Secunda, adolescentia vel iuventus, quae auctoritate sacri eloquii unum sunt, dicente Salomone: *Laetare iuvenis in adolescentia tua* (ECCLE. XI, 9). Tertia autem senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit custodiat vel secundam, ut qui converti a pravitate suis in pueritia neglexit ad vias vitae saltem in tempore iuventutis evigilet. Et qui evigilare in secunda vigilia noluit tertiae vigiliae remedia non amittat, ut qui in iuventute ad vias vitae non evigilat saltem in senectute respiciat. Pensate, fratres carissimi, quia conclusit Dei pietas duritiam nostram. Non est iam quid homo excusationis inveniat. Deus despiciat, et expectat; contemni se videt, et revocat; iniuriam de contemptu suo suscipit, et tamen

quandoque revertentibus etiam praemia promittit. Sed nemo hanc eius longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem iustitiam in iudicio exigit, quanto longiorem patientiam ante iudicium praerogavit. Hinc etenim Paulus dicit: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et cor impenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei* (ROM. II, 4, 5). Hinc Psalmista ait: *Deus iudex iustus, fortis, et longanimis* (PSAL. VII, 12). Dicturus quippe longanimum, praemisit iustum, ut quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc etiam quandoque districte iudicare. Hinc per quemdam sapientem dicitur: *Altissimus enim est patiens redditor* (ECCLE. V, 4). Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum et patitur et reddit. Nam quos diu, et convertantur, tolerat, non conversos durius damnat. Ad excutiendam vero mentis nostrae desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem ad medium deducuntur, ut per haec animus ad sui custodiam suscitetur. Nam dicitur: *Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias quia hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam*. Ex qua praemissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Et vos estote parati, quia quia hora non putatis Filius hominis veniet*. Nesciente enim paterfamilias fur domum perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens carnis nostrae habitaculum irrumpit, et eum quem dominum domus invenerit dormientem necat, quia cum ventura damna spiritus minime praevidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret, si vigilaret, quia adventum iudicis, qui occulte animam rapit, praecavens, ei poenitendo occurreret, ne impenitens periret.

494 Horam vero ultimam Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam praevidere non possumus, ad illam sine intermissione praeparemur. Proinde, fratres mei, in conditione mortalitatis vestrae mentis oculos figite, venientii vos iudici per fletus quotidie et lamenta praeparate. Et cum certa mors maneat omnibus, nolite de temporalis vitae providentia incerta cogitare. Terrenarum rerum vos cura non aggravat. Quantislibet enim auri et argenti molibus circumdetur, quibuslibet pretiosis vestibus induatur caro, quid est aliud quam caro? Nolite ergo attendere quid habetis, sed quid estis. Vultis audire quid estis? Propheta indicat, dicens: *Vere fenum est populus* (Is. XL, 7). Si enim fenum populus non est, ubi sunt illi qui ea quae hodie colimus nobiscum transacto anno beati Felicis natalitia celebraverunt? O quanta et qualia de praesentis vitae provisione cogitabant, sed, subripiente mortis articulo, repente in his quae praevidere volebant inventi sunt, et cuncta simul temporalia quae congregata quasi stabiliter tenere videbantur amiserunt. Si ergo transacta multitudo generis humani per nativitatem viriuit in carne, per mortem aruit in pulvere, videlicet fenum fuit. Quia igitur momenti suis horae fugiunt, agite, fratres charissimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite quid sapiens Salomon dicat: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas* (ECCLE. IX, 10). Quia ergo et venturae mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indultraapiamus. Sic enim sic mors ipsa cum venerit vinceat, si priusquam veniat semper timeatur.

Varia de S. Silvestro, ex Granelas.
(COMPL. IN BREV. ROM., 234-236).

IX quibusdam Ordinibus Romanis festum hoc Circumcisionis Festo succedit; apud Graccos celebratur die 2 Ianuarii....

496 Officium S. Silvestri erat tantum semiduplex ante Pium V qui duplex fecit; et ex antiquo ritu hoc illi reliquum fuit, ut nulla de eo fiat commemoratio in primis vespers Circumcisionis; nam iuxta nostras Rubricas nulla fit commemoratio Festi semiduplicis in primis vespers Festi secundae classis, sed tantum festi duplicis. Ex quo patet, quod non fuit Festum S. Silvestri in hebdomada Natalis. A Carthusianis officium fit de octava cum commemoratione tantum S. Silvestri. In Ecclesia S. Dionysii in Gallia transferatur ad diem secundam Ianuarii. In Breviario Chianiensi translatum est ad tertiam diem....

497 In Festo vero S. Silvestri Parisiis legitur Evangelium de Festo S. Petri: *Venit Iesus in parte Caesarea*, cum Homilia S. Hilarii, quae Petrum summopere commendat eumque appellat fundamentum Ecclesiae, et quod ille decrevit in terris, ait decretum esse et in coelis: *Terrona eius iudicia caelestia sunt*.

IN
CIRCUMCISIONE DOMINI
ET OCTAVA NATIVITATIS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. II, 21.

IN illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen eius IESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Ut in BREV. ROM. ubi, paucissimis omissis lineis, habetur ex integro.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

COMMENT. IN EVANG. LUCAE CAP. 2.

498 **E**T postquam consummati, etc. Supra descripsit Evangelista veritatem nativitatis Christi, per quam ostenditur, qualiter Christus factus est de muliere; hic secundo describitur humilitas Christi nascentis, per quam declaratur, qualiter factus est sub Legē. Quoniam autem Legis praecepta sunt in triplici differentia; quaedam sunt sa-

cramentalia, quaedam sunt *caeremonialia* et quaedam *moralia*; ideo haec pars habet tres; in quarum prima ostenditur, qualiter Christus factus est sub lege *sacramentali* in circumcissione; in secunda vero, qualiter factus est sub *caeremoniali* in sui oblatione, ibi: *Et postquam impleti sunt*, etc.; in tertia, qualiter factus est sub lege *moralis* in Dei honoratione, ibi: *Puer autem crescebat*, etc.

499 Quantum ad primum notandum, quod "omnis, qui se humiliat, exaltabitur"; ideo praemittitur *humiliatio* secundum Legis praeceptum, cum dicitur: *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, etc. Ita enim erat praeceptum Genesis decimo septimo: "Infans octo dierum circumcidetur in vobis". Et recte dicuntur isti dies *consummati* propter perfectionem humilitatis et inchoationem nostrae salutis; Ecclesiastici decimo octavo: "Cum consummaverit homo", scilicet octo dies, "tunc incipiet", nos scilicet liberare. Iam enim octava die incipiebat pro nobis sanguinem suum fundere. Bernardus: "Audiemus congruam lectionem de *Verbo abbreviato*: abbreviatum est in carne, amplius abbreviabitur carnis suscepta circumcissione". Et post: "Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium sustinet humile pariter et austerum". Voluit autem Dominus circumcidi tum propter *Legis approbationem et impletionem*, de qua dicit Matthaei quinto: "Non veni Legem solvere, sed adimplere". Tum etiam propter *humilitatis ostensionem*; Psalmus: "Propter verba laborum tuorum ego custodi vias duras"; alia littera: "vias latronis". Bernardus: "Qui sine peccato est non dignatur peccator reputari", immo "latronis cauterio est signatus". Tum etiam propter *spiritualis circumcissionis introductionem*; Ieremiae quarto: "Circum-

dimini Domino et auferre praeputia cordium vestrorum, viri Iuda". Tum etiam propter *conformitatis et concordiae commendationem*; ad Hebraeos secundo: Debit per omnia fratribus similari". Bernardus: "Amator communitalis et commendator Iesus, quomodo illam desereret?".

Deinde additur *clarificatio propter nomen impositum*, cum subditur: *Vocatum est nomen eius Iesus*, id est Salvator, ut scilicet ipso nomine scias, quod non accepit circumcissionem propter necessitatem suae curationis, sed propter dispensationem nostrae salutis; Iob decimo tertio: "Ipse erit salvator meus". Hoc autem est nomen dignum omni veneratione; ad Philippenses secundo: "Humiliavit semetipsum, etc. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur". Hoc autem nomen competit ipsi Christo *vere et proprie*: *vere*, secundum illud Matthaei primo: "Vocabis nomen eius Iesum"; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum; convenit etiam *proprie*, secundum illud Actuum quarto: "Non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri".

500 Postremo subditur *impositi nominis approbatio* per praeconium angelicum, cum subditur: *Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*; Isaiae sexagesimo secundo: "Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit"; et Ecclesiastae sexto: "Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, et scitur, quod homo sit"; Et hoc quidem factum est nunc; supra primo: "Vocabis nomen eius Iesum". Hoc vero nomen divinum est et angelicum, quod desiderat sponsa Canticoꝝ primo: "Oleum effusum nomen tuum,"

Bernardus: "Aridus est omnis cibus animae, si non isto oleo infundatur; insipidus est, si non hoc sale condatur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes aut conferas, non sapit, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus". Et ideo Isaiae vigesimo sexto dicitur: Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae".

502 *Spiritualiter* nota, quod per octo dies intelliguntur octo aetates, quarum sex sunt in decursu mundi secundum sex distinctiones notabiles, septima in quiete animarum, quae currit simul cum sexta et non habet vesperam, octava in resurrectione, in qua fit circumcisio ab omni culpa et miseria. Et ideo circumcisio fiebat in octavo die ad illius circumcissionis designationem.

503 Secundum *tropologiam* autem et *allegoriam* simul intelligitur *virtus Spiritus septiformis*, et octavus est *perseverantia finalis*, quae nunquam deficit. — Prima ergo pertinet ad *lucem fidei*, quia prima die facta est lux; Proverbiorum quarto: "Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem". — Secunda vero ad *firmitatem spei*, in qua factum fuit firmamentum; ad Hebraeos sexto: "Fortissimum habemus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam spem". — Tertia ad *viriditatem charitatis*, quando terra germinavit; Proverbiorum undecimo: "Iusti quasi virens folium germinabunt". Gregorius: "Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis". — Quarta, in qua facta sunt luminaria, ad *luminosam discretionem prudentiae*, quae viget in virili aetate; Ecclesiastae duodecimo: "Memento Creatoris tui, antequam veniat tempus afflictionis"; et ad Philippenses secundo: "Lucetis sicut luminaria in

mundo". — Quinta, ad *fortitudinem potentiae*, quae probatur in aquis tribulationis, quoniam quinta die factus est aquae ornatus; Psalmus: "Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae"; Psalmus: "Misit de summo et assumpsit me de aquis multis". — Sexta ad *rectitudinem iustitiae*, propter *severitatem* respectu bestialium motuum, et *pietatem* respectu hominum, quoniam sexta die sunt bruta producta cum homine; Iob quinto: "Scias, quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam, non peccabis". — Septima ad *sanctificationem temperantiae*, quoniam diem septimam sanctificavit, in qua quievit; Exodi decimo nono: "Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, et lavent vestimenta sua"; et vigesimo: "Memento, ut diem Sabbati sanctifices". — Octava ad *consummationem fuitis perseverantiae*; Levitici vigesimo tertio: "Octavus dies erit celeberrimus atque sanctissimus"; unde et Psalmus, qui est de transitu ad gloriam, scilicet: "Domine, ne in furore tuo arguas me", intitulatur *Psalmus pro octava*.

Varia de Circuncis. D. N. I. C., ex Azevedo.
(SYNOPSIS OP. OXEN. RES. XIV., DE FESTIS DOM., CAP. I.)

504 De Circuncisionis festo, [docet Ben. XIV.], quod duplici nomine et Circuncisionis, et octavae Nativitatis appellatur. Octavam appellatur codex sacramentorum ven. Card. Thomasio tributus; vel, (ut volunt alii) Gelasio; vel denique (ut Benedicto XIV placet) D. Leoni Magno, eiusque praedecessoribus; Kalendarium Romanum nonages, et amplius abhinc annis scriptum, et evulgatum a Ioanne Frontone; S. Almachius sub Alipio Romae praefecto coronam martyri consecutus. Circuncisionem appellatur martyrologium ecclesiae occidentalis antiquissimum a Francisco Maria Florentino editum; martyrologium Usuardi in Parisiensi S. Germani monasterio repertum, et nuper a Benedictino quodam monacho evulgatum; et Concilium Taronense. At melius dicendum cum Ivone Carnotense: octava, et Circuncisio uni concisunt sacramento; quia cum Do-

mini Circumcisio, quemadmodum lex Iudaica in-
bebat, octavo facta fuerit die, idem plane est dicere
festum octavae, ac festum Circumcisionis. Conso-
nat ius canonicum, sacramentarium Gregorii, mar-
tyrologium Romanum, et alii.

505 Duo ad calcem libet notare. Unum: festum hoc
antiquissimum esse, cum illius iam uti antiqui me-
merit supra allatum concilium Turonense anno
565 celebratum. At multo antiquius illum indicat
Honoratus a S. Maria, cum illius recordetur S. Al-
machius prope finem quarti saeculi martyri palmam
consecutus. Alterum: duas hac die, ut colligitur
ex vetustis quibusdam missalibus, et Micrologo,
missas celebrari, de B. Virgine unam, de Circum-
cisione alteram; quam consuetudinem aetate sua
viguisset, ait Durandus decemterti saeculi scriptor.
Ex eo forsitan usus obtinuit ut in huius diei festo
tunc in officio, tum in missa plura contineantur,
quae ad B. Virginem spectant. Unde Kalendarium
Frontonis supra laudatum hoc sub titulo festum
annuntiat: *Natalis S. Mariae*. Ad immutandum ni-
hil, priusque lectio, tamquam vera retinenda, ut
poëla denotans huius diei solemnitatem in hono-
rem etiam B. V. consecrari.

IN OCTAVA S. STEPHANI

LECTIO SANCTI EVANGELII (ut in festo pag. 117).

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
(habetur in festo pag. 117).

Homilia S. Thomae Aquinatis.
IN MATTHEUM CAP. 23.

506 **I**N parte ista ponit crudelita-
tem eorum, et addit poenam
temporalem. Et primo primum
facit; secundo poenam addit. Et primo
ponit beneficium; secundo culpam; ter-
tio magnitudinem poenae. Unde dicit:
*Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sa-
pientes, et scribas, etc.* Et potest referri
ad illud quod immediate sequitur, vel
ad illud totum quod sequitur. Si ad to-
tum, sic planiorem habet sensum. Ita
dico quod estis impleturi, et quod estis
serpentes, etc. *Unde mitto ad vos prophe-
tas, et sapientes, et scribas, et ex illis oc-
cidetis*, quia tales estis qui occidere con-
suevistis. Vel aliter, ita quod ad totum
referatur. Dominus vult quod iudicium

non solum sit iustum, sed quod appa-
reat iustum, ut exempla alii accipiant.
Unde si aliquis habeat bonum proposi-
tum, Dominus remunerat eum de bono
proposito, et inde dat voluntatem exer-
cendi opus bonum: sic e contrario cum
aliquis habeat propositum malum, et sit
plenus mala voluntate, secundum quod
dicitur Oseeae II, 6: *Sepiam viam spinis*,
excitat iram Dei, et ex ira Dei est ut
manifestetur malitia sua. Ideo mitto ad
vos prophetas, et sapientes, et scribas; et
vos occidetis. Et dicit: *Ecce*, quia in prom-
pto est, quia misit Apostolos; unde Act.
I, 8: *Et eritis mihi testes in Ierusalem,*
et in omni Iudaea et Samaria, et usque
ad ultimum terrae.

Sed notate quod in hoc quod dicit: 507
Mitto ad vos prophetas, et sapientes, et
scribas, diversa dona Spiritus sancti si-
gnificat. *Alii datur donum sapientiae, alii*
genera linguarum, etc. (I CORINTH. XII, 10).
Omnia ista dona habuerunt Apostoli.
Habuerunt donum prophetiae in dicendo
futura; Ioel. II, 28: *Effundam de spiritu*
meo super omnes gentes, et prophetabunt
filius vestri et filiae vestrae. Item sapien-
tiae, quia omnia cognoscebant; Luc. XXI,
15: *Dabo vobis os et sapientiam, cui non*
poterunt resistere et contradicere omnes
adversarii vestri. Item fuerunt scribae,
quia intellectum Scripturae habuerunt;
Luc. ult. 45: *Aperuit eis sensum ut in-*
telligerent Scripturas.

Et quare hoc praedicit? Ut discipuli 508
cogitantes quod audierunt, facilius susti-
neant. Item ad convincendam malitiam
eorum, quia sicut patres eorum prophe-
tas occiderunt, sic isti Apostolos; unde,
Ex illis occidetis, ut habetur Act. XII, 2,
quia *Herodes occidit Iacobum fratrem*
Ioannis gladio, videns quia placeret Iu-
daeis. Alii fuerunt crucifixi; unde: *Et*
crucifigetis. Haec enim erat mors vilis-
sima, ideo, hac morte occiderunt Chri-

stum, secundum illud Sap. II, 20: *Morte*
turpissima condemnemus eum. Et flagel-
labitis. Act. V, dicitur quod caesis de-
nuntiaverunt ne omnino loquerentur in
nomine Iesu. *Et persequemini.* Istud mani-
festum est quomodo Paulum persecuti
sunt. Et supra X, 23: *Si persecuti fue-*
riunt vos in una civitate, fugite in aliam.

509 Uterius ponitur poena, quae quia vi-
debatur gravis, ideo confirmat: *Amen*
dico vobis, venient haec omnia super ge-
nerationem istam. Dicit: *Ut veniat super*
vos omnis sanguis iustus a sanguine Abel
iusti usque ad sanguinem Zachariae filium
Barachiae. Quis sit iste Abel notum est,
quia iste occisus est a Cain fratre suo.
Sed iste Zacharias, quis fuerit, non ha-
betur. Legitur quod tres fuerint Zacha-
riae. Quidam filius Barachiae, qui fuit
undecimus inter prophetas. Sed de isto
non potest intelligi, quia non erat adhuc
altare. Alius pater Ioannis, et cuius fue-
rit filius non invenitur; sed dicit Chry-
sostomus quod fuit occisus propter Chri-
stum, quia in templo erat locus virgi-
num. Et dum sederet virgo Maria in
loco virginum, expellere voluerunt eam
Iudaei a loco; quod prohibuit Zacharias
eam defendens, et propter hoc occisus
fuit. Alius dicitur filius Ioiadae, quem
occidit Ios in atrio templi; ideo inter
templum et altare; unde concordat loc-
cus, sed nomen dissonat. Sed tamen di-
cit Hieronymus quod interpretatur be-
nedictus Domini, et designatur sanctitas
patris eius Ioiadae sacerdotis. Et dicit
quod ipse vidit evangelium Nazareno-
rum, et ibi continebatur, *Filius Ioiadae.*

510 Sed quare sub isto Zacharia incipit,
potest esse quaestio litteralis. Ratio au-
tem videtur esse, quia etsi praecedentia
magis frequentia, ista tamen inveniebantur
in Scriptura. Vel aliter, quod Abel
pastor, Ioiades sacerdos; ideo per istos
duos significantur laici et clerici. Unde

omnis poena pro occisione hominum ve-
niet super vos. Vel aliter, quia quidam
activi, quidam contemplativi: unde utri-
que signantur per istos.

Sed amen dico vobis, quod omnia ve-
nient super generationem istam. Sed quo-
modo potest esse quod omnia veniant
super generationem istam? Ponitur ne
unus pro alio? Ezech. XVIII, 20: *Filius*
non portabit iniquitatem patris. Quomodo
ergo super generationem istam?

512 Hieronymus solvit, quod consuetum
est in Scriptura quod tota generatio ho-
norum pro una generatione sumitur, de
qua in Psal. CXI, 2: *Generatio rectorum*
benedicetur. De generatione malorum su-
pra XII, 39: *Generatio mala signum quaerit.*
Chrysostomus dicit sic: Aliqui pec-
cant, sed Deus non statim vindicat; unde
in Psal. VII, 12: *Numquid transcurrit per*
singulos dies? Aliqui vero nunquam cum
peccant corrumpunt, sed in peius mu-
tantur; II ad Timoth. III, 13. *Mali au-*
tem homines et seductores in peius profi-
cient; et tunc exspectat Dominus donec
compleatur malitia eorum. Unde isti, in
quibus complebitur malitia, portant pon-
dus totius quantum ad temporalem poe-
nam, tamen quantum ad aeternam qui-
libet suam. Unde tanta erit quod vide-
bitur quod pro omnibus patientur; unde
Exod. XXXII dicitur quod istud pecca-
tum servetur usque in diem ultionis. Si-
cut fuit plenitudo bonorum his qui cre-
dunt in Christum; sic plenitudo malo-
rum his qui occiderunt Christum; ideo
dicit: *Venient omnia super generationem*
istam. Sed quae est ista poena? De-
structio civitatis Ierusalem. Et quoniam
intendit loqui de excidio civitatis, ideo
convertit se ad civitatem, dicens: *Ieru-*
salem, Ierusalem. Et primo ponit deli-
ctum; secundo commemorat beneficia;
tertio praenuntiat poenam. Secunda ibi:
Quoties volui congregare filios tuos... et

nohūsti? tertia ibi: *Ecce reliquetur vobis domus vestra deserta.* Dicit ergo, *Ierusalem, Ierusalem;* et designat ista geminatio affectum miserantis; unde dicitur Luc. xix, 41, quod *videns civitatem flevit super eam. Quae occidit prophetas;* Act. vii, 32: *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Et dicit: *Quae occidit,* non quae occidisti, ideo adhuc in malitia perseverabant. Haec est illa Ierusalem, de qua habetur Ezech. cap. v, 6: *Ista est Ierusalem; in medio gentium posuit eam, et in circuitu eius terras, et contempsit iudicia mea.* Possent se excusare: Non habuimus qui diceret nobis; ideo dicit: *Et lapidas eos qui ad te missi sunt;* unde misi prophetas et multa auxilia, et non cognovisti. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et nohūsti?* Designatur in hoc perpetuitas divinitatis eius, secundum quod ipse dicit Ioann. viii, 58: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Unde ipse Christus misit prophetas, patriarchas et angelos. Quandoquidem misit, voluit congregare, etc. Illi congregantur qui ad Dominum convertuntur, quia in eo ununtur peccatores: disperguntur qui ab unitate separantur. Unde: *Volui congregare quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* Dicitur quod non est animal aliud quod ita compatiens pullis sicut gallina. Gallina defendit a milvo, et vitam exponit pro eis, et congregat sub alas. Sic Christus compatitur nobis: *Vere linguas nostras ipse tulit* (Is. liii, 4). Item milvo, id est diabolo, se exposuit; Deut. xxxi, 27: *Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum.*

513 Sed contra, Dominus voluit, et isti noluerunt: ergo praevaluit mala voluntas eorum voluntati Dei. Unde dicendum: Quoties volui, feci: sed te invito, feci

cum feci, unde tua voluntas impedit quod non facerem. Vel quod misit prophetas signum fuit quod voluit congregare, et nohūsti.

Tunc sequitur poena: *Ecce reliquetur vobis domus vestra deserta.* Totus populus honorabatur propter Ierusalem, et Ierusalem propter templum; ideo dicitur: *Relinquetur domus,* id est templum, vel habitatio; Psal. lxxviii, 25: *Fiat habitatio eorum deserta.* Vel dicitur domus deserta quando caret proprio habitatore; Psal. x, 5: *Dominus in templo sancto suo.* Unde dicitur relinquere per habitationem; ideo *non videbitis me amodo,* etc., quia fui vobiscum per potentiam divinitatis, et post fui corporaliter, sed recedam a vobis. Sed iam *relinquetur domus vestra deserta, et non me videbitis amodo,* nec corporaliter, scilicet post passionem, nec spiritualiter.

Sed numquid est hoc verum quod 515 nulli Iudaeorum viderunt eum, cum tamen multi conversi fuerint ad eum? Ideo dicit: *Donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini,* quia quando confitebimini, tunc videbitis per fidem. Vel aliter designat occulte secundum adventum: videbant ipsum corpore sed istam visionem non habebant usque ad secundum adventum, in quo poteritis dicere, et recognoscetis quod ego sum *benedictus qui venit in nomine Domini.*

Variā de Octava S. Stephani, ex Grāncolas.
(COMMENT. HIST. BREY. ROM. 239).

DE Octava S. Stephani, et duobus subsequentibus diebus primus omnium egit Amalarius 516 l. 4, c. 37. Post Octavam Nativitatis Domini, Octavam celebrare S. Stephani et S. Iohannis Evangelistae, atque Innocentium solemus; ut eorum octavarum cultu perveniamus ad Vigiliis Theophaniae: ne dies hi absque celebritate claberentur, tribus hisce Festis Octava assignata est. Ea quomodo hisce diebus Officium Natalis, quod antea duodecim istorum dierum spatio continuatum unam eandemque quasi

consecraret solemnitatem, extinctum est, ut Sanctorum Officia substituerentur, et Sanctorum Octavae.

IN OCTAVA S. IOANNIS

LECTIO SANCTI EVANGELII [ut in festo pag. 120].

Homilia S. Iohannis Chrysostomi.
IN IOANN. HOMIL. 83.

517 **H**ic cum haec dixisset, ait: *Sequere me.* His ostendit curam et affectum magnum erga ipsum. Quod si quis dixerit, Cur ergo Iacobus Ierosolymorum thronum accepit? respondebo, Petrum non throni huius, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse. *Conversus ergo Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius; et dixit: Domine, hic autem quid?*

518 Qua de causa recubuit illum memorat? Non abs re, sed ut ostendat quantum Petrus fiduciam haberet post negationem. Qui enim tunc non audebat interrogare, sed alteri ut id faceret annuebat, hic praefecturam in fratres habuit. Neque solum sua non alteri committit, sed etiam pro alio ipse Magistrum interrogat, et Ioanne tacente, ille loquitur. Hic porro amorem ostendit quem erga illum habuit: nam Petrus Ioannem admodum amabat, ut ex sequentibus liquet; perque totum Evangelium haec necessitudo ostenditur necnon in Actibus Apostolorum. Quia ergo magna ipsi praedixerat, orbem commiserat, martyrium praenuntiabat, maiorem quam ceterorum amorem eius indicaverat, volens Petrus hunc, consortem habere, dixit: *Hic autem quid?* annon eadem nobiscum via incedet? Ac quemadmodum tunc, cum interrogare non auderet, hunc protulit: sic et nunc vicem reddens, putansque ipsum de se velle interrogare,

nec audere, ipse sciscitatur. Quid ergo Christus? *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quia magno motu desiderio id dicebat Petrus, quod nollet ab eo separari ostendens Christus quantum ipsum dilectione prosequeretur, non tamen suam attingere dilectionem, ait: *Si eum volo manere, quid ad te?* his erudiens nos non aegre ferendum esse, nec curiose inquirendum, ultra quam ipsi placitum sit. Quia enim Petrus semper ad tales interrogaciones fervens promptusque erat, fervorem eius praedicens, et docens non esse ulterius inquirendum, sic respondit. *Exit ergo sermo iste inter fratres,* id est, discipulos, *quod ille non moritur. Et non dixit Iesus, Non moritur; sed, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ne putes, inquit, me uno modo vestra dispensare. Hoc autem faciebat, ut impetivum illum mutuum affectum tolleret. Quia enim orbis terrarum curam suscepturi erant, non ita copulari eos oportebat: alioquin, magnum hinc futurum erat orbis detrimentum. Quamobrem ait illi: *Opus tibi commissum est: hoc cura, hoc perlice, pugna, decerta.* Quid enim si velim eum hic manere? tu tua cures et provideas.

519 Hic mihi consideres, velim quam sit Evangelista a fastu alienus. Cum enim discipulorum opinionem narrasset, illam corrigit, quasi quid Christus dixerit non intellexerint; ait enim: *Non dixit Iesus, Non moritur: sed, Si eum volo manere. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec; et scimus quia verum est testimonium eius.* Cur nullo alio id agente, hic solus haec ait, et secundum de seipso perhibet testimonium: videturque auditoribus occurrere? qua de causa? Dicitur ultimus, Deo movente, scripsisse: ideo illius dilectionem frequenter exhibet, subindi-

cans qua de causa ad scribendum impulsus sit. Ideo id frequenter memorat, ut fide dignam reddat narrationem, et ostendat se inde motum ad hoc venisse. Novi, inquit, vera esse quae dicit: quod si multi non credant, hinc ipsis credendum est. Unde? Ex eo quod deinde dicitur. *Sunt et alia multa, quae fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros.* Unde constat, me non ad gratiam loquutum esse. Qui enim, cum tot dici possint, ne tanta quidem dixit, quanta reliqui, sed longe plura praetermisit; Iudaicis vero in medium allatis insidiis, lapidationibus, odiis, contumeliis, conviciis, cum narraverim quomodo illum daemonicum et deceptorem vocarent, palam est me non ad gratiam loquutum esse. Nam qui ad gratiam loqui voluisset, contrarium facere oportebat, probrosa occultare, et splendida narrare. Quia ergo quae certissime sciebat scripsit, non recusat suum etiam in medium proferre testimonium, sibi quae proponit singula explorare et examinare. Mos enim est nobis, cum rem verissimam nos dicere putamus, nostrum non recusare testimonium. Si vero nos id facimus, multo magis ille qui in Spiritu scribebat: quod etiam reliqui apostoli praedicantes dicebant: *Nos testes sumus eorum quae dicimus, et Spiritus, quem dedit obedientibus sibi* (Act. v, 32). Omnibus enim affuerat, crucifixum non reliquerat, matrem sibi commendatam habuit: quae omnia signa amoris erga illum erant, et quod ille omnia accurate nosset. Quod si tanta facta fuisse signa dicat, ne mireris; sed cogitans ineffabilem operantis virtutem, id quod dictum est cum fide accipe. Sicut enim loqui nobis facile est, sic, imo multo magis illi facile ea operari quae vellet. Sufficiebat enim ipsi velle solus, et omnia sequebantur.

Attendamus itaque diligenter dictis huiusmodi, neque illa explicare et interpretari desinamus: ex frequenti enim tractatione aliquid consequimur. Sic vitam nostram expurgare poterimus, sic spinas succidere. Talis quippe res est peccatum, et saecularis sollicitudo, infructuosa nempe et molesta. Ac quemadmodum spina, ubicumque retinetur, retinentem pungit: sic et saecularia, undecumque detineas, detinentem laedunt. Verum spiritualia non huiusmodi sunt, sed margaritae cuidam similia; undecumque illam verses, oculus delectat. Exempli causa, fecit aliquis eleemosynam; non modo spe futuri nutritur, huius vitae bonis laetatur, fiducia multa semper plenus. Malam vicit concupiscentiam; et ante regnum hinc iam fructum accepit, dum laudatur et celebratur ante alia omnia a propria conscientia. Singula quoque bona opera huiusmodi sunt sicut contra mala opera ante gehennam hic conscientiam excruciant. Et si peccans futura cogitaveris, etiam nemine puniente, formidolosus et trepidus es; si praesentia cogites, multos habes inimicos et in suspitione vivis, neque iam laedentes obtueri possis, imo nec non laedentes. Non enim tantum ab eis voluptatis, quantum moeroris assequimur: oclamante conscientia, damnantibus, foris hominibus, irritato Deo, gehenna nos cupide exspectante, cogitationibus non quiescentibus.

Grave enim, grave et onerosum est peccatum, et plumbo omni gravius. Qui id sentit, ne minimum quidem oculos attollere poterit, etiamsi insensilis sit. Sic et Achaab, etsi valde impius, quia hoc sensit, prono capite, contritus, misere incedebat (III REG. XXI, 27). Ideo se sacco praecinxit, et fontes lacrymarum emittebat. Si hoc et nos faciamus, si luceamus ut ille, si peccata exuamus

IN OCTAVA SS. INNOCENTIIUM

LECTIO SANCTI EVANGELII (ut in festo, pag. 159).

Homilia S. Iohannis Chrysostomi.
IN MATTHEUM HOMIL. 8, 9.

Qui cum abissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum. Hic subit in mentem quaedam dubitatio circa magos, et circa puerum. Etsi enim illi turbati non sint, sed fideliter omnia susceperint, nobis tamen quaerendum incumbit, cur non et illi et puer praesentes servarunt; sed illi in Persidem, hic in Aegyptum cum matre fugatur. Sed quid? an oportebat illum incidere in manus Herodis, et captum non interfici? At non putatum fuisset ipsum accepisse carnem, neque oeconomiae magnitudo credita fuisset. Nam si his ita gestis, postquam multa humano modo dispensata sunt, quidam dicere ausi sunt carnis assumptionem esse fabulam, quo impietatis non prorupissent, si omnia divino modo et secundum suam potentiam fecisset? Magos autem celeriter emittit, simul doctores mittens in Persarum regionem, et tyranni furorem praevertens, ut edisceret, se res quae fieri non possent aggredi iramque eius sedaret, et a vano labore retraheret. Ad eius enim potentiam pertinet, non modo inimicos palam profligare, sed etiam ipsos facile decipere. Sic enim Aegyptios in Iudaeorum gratiam decipit, et cum posset illorum divitias in manus Hebraeorum palam transferre, clam id et cum astutia fieri iubet: id quod illum non minus formidabilem hostibus reddebat, quam alia signa.

Ascalonitae namque ceterique omnes postquam arcam ceperant, percussi deinde hortabantur suos ne pugnarent, neque adversum starent, ac cum 'ce-

ut Zacchaeus, nos quoque veniam consequemur. Ut enim in tumoribus et fistulis, nisi quis fluentem humorem et vitulum afficientem sistat, frustra remedia adhibebit, malo semper grassante: sic et nos nisi manum coerceamus ab avaritia, et pravum illum fluxum reprimamus, nisi eleemosynam demus, frustra cetera facimus. Nam si quid ab illa curatum sit, adveniens avaritia obruit et labefactat, gravioremque priore plagam infert. Finem ergo faciamus rapiendi, et ita eleemosynam erogemus. Quod si nos ipsos in praecipitia feramus, quomodo respirare poterimus? Nam si quis cadentem erigeret, id quod facit eleemosyna; alius autem vi ad lapsum pelle-ret, id quod avaritia facit; nihil aliud ex hac pugna eveniret, quam quod homo ille discerperetur. Id ne nobis accidat, neve avaritia nos deorsum trahente, eleemosyna nos derelinquat et abeat, nos leviores efficiamus et avolemus, ut a malis liberati, et ex bonis operibus ad perfectionem deducti, aeterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patri unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Varia de Octava S. Ioann. Evang., ex Granelias.
(COMMENT. HIST. BREV. ROM., 24).

In primis editionibus Breviarium Cardinalis Ignonii, a Paulo III Pontifice approbati, non fiebat hac die Officium de Octava S. Iohannis Evangelistae, sed de S. Antero Papa; quod tamen a Pio V mutatum est, et nullum de hoc Papa relictum Officium, neque memoria nisi in Martyrologio. Parisiis hac die fit Officium et Festum S. Genovefae Virginis quae illius Urbis habetur Patrona; sepulta est in Ecclesia, quae a Clodoveo anno 507 aedificari coepit in honorem SS. Petri et Pauli, quorum relicto titulo, S. Genovefae nomen sumpsit propter nimiam populorum frequentiam ad eius tumulum concurrentium.

teris miraculis hoc etiam in medium proferebant dicentes: *Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Aegyptus et Pharaos? nonne postquam illis eis, tunc dimisit populum suum, et abierunt?* (I REG. VI, 6). Haec dicebant, putantes hoc postremum signum non minus esse ceteris palam gestis, ad eius demonstrandam potentiam atque magnitudinem. Id quod etiam hic factum est, poteratque tyrannum perterrefacere. Animadvertente namque quanta passum, et quanto praefocatum moerore Herodem fuisse verisimile sit, sic a magis deceptum et illusum. Quid enim, si non melior sit effectus? id certe non ad eum qui haec dispensavit referendum est, sed ad ingentem furorem illius qui non cessit iis, quae ipsum consolari et a nequitia abducere debebant; sed ulterius processit, ut tantae insanitiae graviores lueret poenas. Et cur, inquires, in Aegyptum puer mittitur? Causam in primis protulit Evangelista dicens: *Ut imple-retur illud: Ex Aegypto vocavi filium meum* (OS. XI, 1): simulque bonae spei proemia toti orbi praenuntiabantur. Quia enim Babylon et Aegyptus plus quam reliquus orbis impietatis ardebant flamma, ab exordio declarans se ambas illas regiones emendaturum, et ad meliora deducturum, simulque per haec indicans etiam toti terrarum orbi bona expectanda esse, et magos misit, et ipse cum matre sua profectus est. Ad haec vero aliud etiam inde docemur, quod non parum nos ad philosophiam incitet. Quodnam illud? Quod ab ipso initio tentationes et pericula sint expectanda. Vide namque id ipsi ab incunabilis accidisse. Nam illo nato furit tyrannus; hinc fuga et transmigration in exsili locum, et insons mater in barbarorum regionem se proripit: ut tu haec audiens aliquo spiritali ministerio dignatus, si videris te

dira patientem, et inter sexcenta versantem pericula, ne turberis, neve dicas: Quidnam hoc est? oportebat utique me coronari, laudari, clarum et illustrem esse, qui mandatum Domini impleam: sed hoc exemplo fultus fortiter feras, gnarus, hanc cum primis esse spirituum virorum sortem, ut ubique tentationibus impetantur. Animadvertente igitur id non solum puero et matri accidere; sed etiam barbaris illis. Nam et illi clam discedunt quasi fugitivi; et haec, quae numquam e domo egressa fuerat, tam longum et aerumnosum iter suscipere iubetur, ob mirabilem hunc editum puerum et spiritualem partum. Rem iterum stupendam considera. Palaestina insidiatur, Aegyptus vero excipit et servat insidiis impetum. Neque enim tantum in filiis patriarchae, sed etiam in Domino typi et figurae contigerunt. Per ea enim quae ab ipso gesta sunt, multa praenuntiabantur eorum, quae postea eventura erant: quod et in asina et in pullo factum est. Angelus igitur qui apparuit, non Mariam, sed Iosephum alloquitur: et quid dicit? *Surgens accipe puerum et matrem eius* (MATTH. II, 20). Hic non ultra dicit, *Coniugem tuam*; sed, *Matrem eius*. Quia enim partus contigit, suspicio soluta est, et viro fides facta est, libere iam loquitur angelus, neque filium neque coniugem eius dicens; sed, *Puerum et matrem eius*; et *fuge in Aegyptum*; fugaeque causam addit: *Futurum est enim, inquit, ut Herodes quaerat animam pueri*.

His auditis Ioseph non offensus est, ⁵⁵ neque dixit: Aenigma est hoc. Tu nuper dicebas: *Salvum faciet populum suum* (MATTH. I, 21): nunc autem nec seipsum potest servare, sed fuga nobis est opus et peregrinatione ac longinqua transmigratione? Contraria sunt haec promissioni tuae. Sed nihil huiusmodi dixit; fidelis enim vir erat; neque rever-

sionis tempus inquit, etiamsi angelus indefinite loquutus esset; nam ait: *Esto ibi, usquedum dicam tibi*. Verum ille non ideo signior factus est, sed paret et obtemperat, tentationesque omnes cum gaudio tolerat. Enimvero benignus Deus huiusmodi dulcia miscuit: id quod etiam in sanctis omnibus observat: neque pericula, neque quietem continuam praestat, sed et his et illis permixtum positum vitam iustorum ordinat: id quod etiam hic fecit: idque perpendas velim. Videt ille Virginem uterum gestantem: ea de re turbatur, et admodum anxius est. . . . sed statim adstitit angelus, qui suspicionem [alibi excluditur mala suspicio] solveret ac metum eliminaret. Cum vidit natum puerum, gaudio magno perfusus est: rursusque gaudium huiusmodi periculum non parvum excipit, civitate perturbata, ac rege furentem, puerumque perquirentem. At perturbationem illam aliud gaudium excipit, stella nempe, et magorum adoratio. Rursus vero post hanc laetitiam, timor ac periculum: *Quaerit enim, inquit, Herodes animam pueri*; iterumque fugiendum est et transmigrandum humano more; nondum enim miracula edere oportebat. Nam si a prima aetate miracula edidisset, homo non creditus fuisset. Idcirco non simpliciter templum formatur, sed uteri tumor conspicitur, et novem mensium spatium, et partus, et lactis nutrimentum, quies per multum temporis; aetas virilis expectatur, ut per omnia credibile redderetur oeconomiae mysterium. Qua ergo de causa, inquires, haec ab initio facta sunt signa? Propter matrem, propter Iosephum, propter Simeonem iamiam moriturum, propter pastores, propter magos, propter Iudaeos. Si enim iis quae gerebantur accurate voluissent attendere, non parvum hinc ad futurum tempus fructum

retulissent. Quod si prophetae de magis nihil praedicant, ne ideo turberis; neque enim omnia praedixerunt neque etiam omnia tacerunt. Sicut enim nulla re ante audita, res huiusmodi gestas videre, magnum stuporem, magnamque perturbationem peperisset: sic si omnia didicissent auditores dormituri erant, nec quidquam evangelistic fuisse relictum. Quod si de prophetia ambigant Iudaei dicentes, illud: *Ex Aegypto vocavi filium meum*, de seipsis dictum esse: respondebimus illis, hunc etiam esse prophetiae morem, ut multa saepe de aliis dicantur, et in aliis impleantur, quale illud de Simeon et Levi dictum: *Davidam eos in Iacob, et dispergam eos in Israel* (GEN. XLIX, 7): id enim non in ipsis, sed in posteris eorum impletum est: et illud quod de Chanaan a Noe pronuntiatum est, Gabaonitis ex stirpe Chanaani contigit. Quod ipsum Iacobo etiam accidisse deprehenditur: benedictiones enim illae: *Esto dominus fratris tui, et adorent te filii patris tui* (GEN. XXVII, 29), non in ipso finem acceperunt, (quomodo enim ad ipsum pertineat, qui fratrem timebat tremebatque, ac sextenties ipsum adoravit?) sed de prole eius dictum est. Quod etiam hoc loco dici possit. Quis enim verius Dei filius dicatur: an is qui vitulum adoravit, et Beelphegori initiatum est, quique filios suos daemones immolavit; an is qui natura filius erat, et genitorem honoravit? Itaque nisi hic advenisset, prophetia dignum non habitura finem erat.

Vide ergo quomodo hoc ipsum evangelista subindicet dicens: *Ut imple-retur*, ostendens nisi venisset, non implendum illud fuisse. Hoc vero Virginem ipsam non mediocriter clarum efficit et illustrem. Nam quod totus populus encormii loco habebat, hoc ipsum habere potuit et ipsa. Quod enim altum sapiebat